



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 101. ad 125.

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1764

VD18 15558428-001

Psalmus CXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53433)

Concludit breviter explicando, ob amorem civium sanctæ urbis, quos fratres, & amicos suos agnoscit, & multò magis ob amorem Dei conditoris, & habitatoris ejusdem urbis, vel domûs, se impulsus fuisse, ut dicta bona urbi precaretur.

PSALMUS CXXII.

Titulus. *Canticum graduum.*

Argumentum : *Psalmus continet orationem hominis peregrinantis ad caelestem Jerusalem, & in exilio, vel itinere pressuram patientis.*

¶. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis.*

Loquitur tum in personâ peregrini, tum propriâ, qui unus erat ex veris peregrinis, & ait, se in omni pressurâ respicere ad solum adjuvorem Deum : hic solus habitat in summo cælo, unde omnia inferiora conspicit, & moderatur : ipse est, qui per malos nos flagellat; nec potest quisquam alius nos de manu Dei eripere.

¶. 2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus Domini minorum suorum.*

¶. 3. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominae suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Explicat similitudine, cur oculos ad Deum levave-

vaverit, ut nempe respiciat Deum flagellantem, ut aspectu mirabili ad misericordiam commotus flagellare desinat: uti dum cæduntur servi à Dominis, respiciunt mæsti ad manus cædentium, ipso aspectu quasi petentes, ut miserti ipsorum cessent à plagis. Porrò flagella Dei non tantum sunt manifestæ persecutiones, & calamitates, sed & tentationes occulta, quibus anima vexatur assidue; item timores, tristitiæ &c., quibus nemo caret, dum vivit; unde illud, *donec misereatur nostri*, non fiet, nisi cum ad patriam venerimus.

ψ. 4. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.*

Non oculis tantum, sed & voce cordis, ac corporis implorat misericordiam pro se, & pro sociis peregrinationis. Addit rationem: quia non tantum despiciuntur, seu vexantur, sed etiam *repleti sumus despectione*: vexantur nempe à demonibus, pravis hominibus, ab animalibus etiam minimis, & ab ipsis elementis.

ψ. 5. *Quoniam multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis.*

Docet, contemptum, ac despectionem, cujus jam meminerat, accidere pauperibus, & humilibus peregrinis ab hominibus divitibus,

bus, ac superbis. *Quoniam multum &c., facti sumus opprobrium abundantibus &c.*

PSALMUS CXXIII.

Titulus : *Canticum graduum.*

Argumentum est exultatio eorum, qui de gravissimis tribulationibus liberati fuerant, ut passi sunt israelita, vel dum essent in captivitate, vel dum templum, & civitatem iterum edificarent, vide *Esdras l. 1. & 2.* Quantum pertinet ad spirituales Israelitas, seu Christianos, ad celestem Ierusalem ascendentes, Psalmus referendus est ad persecutiones Paganorum, aliorumque impiorum, à quibus liberati sunt SS. Martyres, & electi ceteri quotidie liberantur.

ψ. 1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.*

Sermo imperfectus, & per illud, *dicat nunc Israel*, interruptus, signum est insolitæ lætitiæ. Dicit igitur multitudo Sanctorum de magnis tentationibus liberatorum. Nisi Dominus omnipotens nobiscum fuisset, nunquam evadere potuissemus.

ψ. 2. *Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.*

ψ. 3. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

N

Ecce